...us Florianus
...ensis

Pawlikowicz Joan. Hroznata: Sago-togata gentilitii
Czartorysciorum cataphracti virtus.

SAGO-TOGATA

Gentilitii CZARTORYSCIORUM Cataphracti

VIRTUS

Prolixam per arduos Generis & Laboris gradus emensa orbitam In Augusta Primatialis Dignitatis feliciter consistens Auge

Dum

Post Posnaniensem, Uladislaviensem & Pomeraniæ Pontificalem Cathedram

Illustrissimus ac Celsissimus Princeps & Dominus

D. CASIMIRUS FLORIANUS

Dux in Klevan

CZARTORYSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ ARCHIEPISCOPUS Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Primas Primusque Princeps, Supremi Numinis disponente Nutu, Regni Divorum Tutelarium cooperantibus Suffragiis, Serenissimi semperque Augustissimi Regis definiente Calculo, ad Divini Nominis gloriam Ecclesiæ & Patriæ Incolumitatem Civiumque Universorum salutem perpetuam

IN

FREQUENTISSIMO LECTISSIMORUM SPECTATORUM CONCURSU

Felicissimè inauguraretur

A

P. JOANNE HROZNATA PAWLIKOWICZ

Canonico Regulari Præmonstratensi Conventûs Vithoviensis Suppriore ac Ordinario ibidem Philosophiæ Professore.

Ad gratulationem Augusti Honoris

LUCI PUBLICÆ CONSIGNATA

Anno M. DC. LXXIV.

WRATISLAVIÆ,

In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia imprimebat GODOFREDUS GRÜNDER.


IN
Illustrissimæ Archi-præsulex
Ducalisque Domus Insignia.
Jerem. Winckler. sc. Wratisl.
Quô Cataphracte ruis Crucibus metuendus et Ense?
Ipsa, Galerus enim est, Mitra, Tiara quies
Nempe hæc Pastorem, Dominum, Missumque loquuntur
pacis: Verum illis, hostis Vterque Cadet.

SAGO-TOGATA
Gentilitii CZARTORYSCIORUM Cataphracti
VIRTUS

SUpremo Auſpice Numine, ad auguſtam Dignitatis Augem, auſpicatiſsimum dum feliciter inchoatum dudum, nunc feliciſsimè continuas iter ILLUSTRISSIME & iterum atque iterum CELSISSIME PRINCEPS: paſsibus tuis, & lætabunda & gratulabunda ut applaudat omninò, nedum Ovilis Tui, verùm & totius Reipublicæ Polonæ cum ſuo effuſo affectu, in effectu rapitur ſphæra. Adeſt quippe, præſeferendæ jure meritò hilaritatis, Citra præjudicium innatæ Libertatis, effectivum, quia ſuaviſsimè omnium noſtrum affectivum agens; dum rerum Patriæ, hactenus in diverſa, quia ſemper in adverſa, actarum, in Te Uno, uniendam, in CELSISSIMO PRIMATE, primæ temperiei reſtituendam; in ſummo Eccleſiæ per Oras Sarmaticas Moderatore, debito reddendam moderamini, par eſt per omnia concludere Harmoniam. Ivit hactenus per diſtortos plus quam Labyrintheos, varii ſenſûs & affectuum anfractus, fractam & ſolutam Charitatem ſpirans: Vel ad hujus ſolius ſolutionem omnino frangenda & diſsolvenda, quâ Politica, quâ Eccleſiaſtica Libertas: nec gyrantibus in mutuam perniciem, inventionum technarumque Circulis periodicam præfixit ſtationem; Vel Tuo feliciſsimè quia PRIMATIS nutu, ad primam æquabilitatis menſuram revocanda tandem. Stante vero Philoſophi: *(a.)* Primum in unoquoque genere eſt menſura cæterorum. Et quid ni, hæc diſtorta, ad definitam orbitam; divaricantia, ad uniformitatis diametrum; mutuò inter ſe diſſita, ad deſideratam Unionis & concordiæ revocaveris normam? In cujus almo recti boniqueſpirante pectore, Juſtitia ſedem; locum, Amor boni publici; non parvam denique, *(b)* cum qua res parvæ creſcunt, omninò inter omnes per Te promovenda Concordia, ſuam defixit ſtationem. Eſt ſingulis præſenti Honori Tuo ut feſtivum plauſum, ita frequenſiſsimum Comitatum præſtantibus, ſub aperta poſitum luce; vel ipſo definiente Cælo, orbatæ nuper Eccleſiarum Matrici, ac compendioſo aliorum, aliis commiſsorum gregum Ovili, illum eſse Patrem ac Moderatorem reſtitutum, cujus maturo Conſilio, præmatura mutuam perniciem ſpirantia molimina; ſedatâ Authoritate, effrenata & licentioſa Audacia; prudenti felicitate, infelix ubique radicata Confuſio, trans Garamantas & Indos fugetur aman-

a. Ariſtoteles in Metaphyſicis. b. Levius Hulſinus in Numiſmate Pupienii Rom. Imper. fol. 71.

amandetur, proſcribatur. Clarum eſt uuiverſis, Te peritiſsimum & inter tot tempeſtates, periclitantis Naviculæ Patriæ ſcilicet probatiſsimumq; eſse Navarchum, cujus ſagaciſsima dexteritate, nuper & inflata tumidorum, quâ Majeſtatis, quâ Legum dehoneſtativa vela, & furentes, plusquam ſævi Boreæ aut efferati Aquilonis procellæ, mobilium ſcilicet judiciorum, ad amovendam pacem publicam inclinata, retuſa ſunt ac diſsoluta conſilia, atque per varia, jam jam imminentis naufragii pericula jactatæ Reipublicæ celoci, optata ſecuritatis & tranquillitatis eſt reſtituta malacia. Ecquid tandem erit quod effuſæ à nobis omnibus ineundæ lætitiæ, effuſum faciat impedientem vel retardantem obicem? Singuli ſingula in Te Uno ſingulariter recondita, deſideriorum noſtrorum conſentativa, quando videmus, ac intuemur bona. In Te egeni munificentiſsimi effigiem Largitoris, oppreſsi & afflicti, Patroni Simulacrum colendiſsimi ſubjecti, Patris Clementiſsimi ideam; Literati, exemplar Fautoris propenſiſsimi; Reſpublica Senatoris Normam graviſsimi; Majeſtas denique ipſa totius fidelitatis & obſervantiæ non ſuſpicit modò, ſed & ſuſcipit imaginem. Non valuit certè vel ipſo definiente Cælo, *Sereniſsimi* ſemperque *Auguſtiſsimi Regis* ad meliorem, ſuo cum aſsenſu deflexiſse Scopum, matura deliberatio, quam cum in eadem Dignitatis auge, Communi Patriæ felicitati adaugendum concluderet eum, à quo, dum reliquorum omnium tanquam ab exemplari, ut in ordine ad Rempublicam, ita in ordine ad Majeſtatem dependere debeant tam ineunda, quam in effectum deducenda Conſilia: idem ex aſse, (c) omnibus omnia ad normam Doctoris gentiū videatur eſse & factus de facto ſit. In tantùm, ut quod in deceſsu feliciſſimæ recordationis Anteceſsoris ſui plurimorum eliſa vel eluſa amiſiſse ſe conqueſta eſt ſpes, in Eo Uno (unitatis & boni publici promovendi ſervato reſpectu) ſufficienter compenſandam concludat, & re ipſa compenſatam experiatur jacturam. Nativus ſolis in Auge conſiſtentis ſplendor non niſi præfulgidos turbida ſerenantes natus eſt profundere radios. Gnari laborum, juxta ac peritiſsimi Directoris in hoc ſubſiſtit cura ut feliciter dirigente ſe, urgens quivis dirigendorum minuatur labor. Spondes hoc Utrumque ILLUSTRISSIME & iterum atque iterum CELSISSIME PRINCEPS, turbatis & turbantibus claram veritatis ſemper fuſurus lucem; ac ſatur quorumvis pro bono publico laborum, contrariis laborantium ſtudiis, malè laborioſam ſublaturus defatigationem, *Auguſtam Primatialis Dignitatis Augem* Sagotogata Tui Gentilitii Cataphracti quævis paci publicæ contrariantia, fractura, molimina, dum feliciter per arduos generis & laboris Tui gradus, ſplendida nec offuſcanda unquam aſcendit Virtus retrogradæ communi felicitati, recta abhinc inceſsuræ, expers deflexionis futura norma. Cujus quidem aſcenſûs Te ILLUSTRISSIME iterùm atque iterum CELSISSIME PRINCEPS præeunte cum praxi, exilis meus cum ſpeculatione ſubſequens, ſatis notam Tibi futuræ tamen (quod in votis eſt) ampliùs notandam poſteritati rationem, dum intendit attingere ſermo, ex debito mei utriusque Religioſi Candoris in Patrem & Patronum profectus, candidam irrefragabiliter patrocinaturæ ſibi acceptationis ſperat ac pollicetur clientelam.

Nexus diſſolutus

Sagotogata Tua, utpote Martiali dexteritate in Majoribus, & Palladis comitate in Te per quam commendatiſsima Virtus, per prolixam non Epiſcopali, non Pontificali modo, ſed & (ſi politiem luberet ſequi) Regali ſed Imperiali congruam occupando faſtigio, peragratam orbitam, quia ad Auguſtam ARCHIPRÆ-

c. 1. ad Cor. 9. v. 22.

CHIPRÆSULEÆ Dignitatis feliciter jam consistit Augem. Longo satis temporum tractu insignis, quia à *(d)* Pompejano cum Cæsare conflictu, hucusque non infaustè per Ducales & Regales imò Imperiales etiam domos continuata generis firmitudo; & indefessi Laboris Tui pro Deo, pro Patria, pro Majestate, pro bono publico, non quopiam sortis adversæ impetu concussa vel debilitata soliditas, solidos ei posuerunt gradus. Et quidni per talia fulcra, suprema etiam sint occupanda fastigia? per tales gradus, eccur Augustales Octaviorum throni, præcelsa Alexandri principatûs juga, & vel ipse ter Tiaratus summi in terris Petri Vicariatûs non scandendus vertex? In tali quippe conficiendo tramite, non constans inconstanter sors, sed firma medii servatrix Justitia accommodatam præscribit normam. Generis Tui ILLUSTRISSIME ac iterum iterumque CELSISSIME PRINCEPS, ut numerosa satis, quia vix aliquo certo definienda numero; ita speciosa, quia nonnisi virtutis nonnisi rectefactorum, nonnisi Heroicæ dexteritatis spirantia typum; dum præ stupore suspirabundus perlustro decora, ut præter præsentis dignitatis decus, etiam decor eris amplius omnibus numeris absolutam & spatiosam cerno Tibi ad id patefactam viam. Ex quo & Italia in suis *(e)* Hetruscis Principibus. *(f)* Austria in suis Heroinis. *(g)* Gallia in lectissimis consortibus Poloniæ Regum, Sarmatia in Augustissima Jagellonica prosapia, Lithuania in bellicosissimis Atavis, Russia in memorandis æternùm, redivivos Hercules præseferentibus Abavis, Proavis, Avis, Parentibusque Tuis: denique Europa tota, pariter. propter communicatum per fædera connubialia, Ducibus Duces, Reges Imperatoribus, Fortissimos fortibus jungentem sangvinem, dignum te judicavit semper, cui, quivis honoris & dignitatis submitteretur apex. Unde, est cur intrepidè semper subscribam ei. *(h) Quicquid Europa Magnorum Principum habet domi Tua educatum est.* Ivit semper, imò cucurrit, melius dico volavit non per Cræseas desidiosè, sed per dotes Gradivi & Palladis generosè ad quævis Honorum fastigia, nisi verissimè dicam, quod in ipsis Honorum & Dignitatum jugis secura CZARTORYSCIORUM nunquam non quieverit Virtus, dum antiquissimæ Gentilitiæ firmitudini Columnarum adhuc in Publio *(i)* Libone innixa, pernicissimis ad ardua virtutum scandenda natis Hyppocentauris in *(k)* Zivibundo sociata; Cataphractâ dexteritate in *(l)* Narimunto aucta, & inconstantis fortunæ lusûs, nativâ ut in adversis sic in prosperis Constantiâ, & peramplum laboris ac fatigationis spatium, innatâ pernicitate superavisse potuit & valuit semper. Sive enim, non deciduæ Chartæ, verùm ipsi solido committenda adamanti, in Paterna, sive Cedro vel Pario lapidi insculpenda in Materna linea ILLUSTRISSIME ac iterum iterumque CELSISSIME PRINCEPS Majorum Tuorum percurro monumenta; ex his, binas, ut pro continuante se gradatim, ita pro terminante omni ex parte, puncto, præcelsa nonnisi Dignitatum fastigia vendicantes sibi cerno resultare parallelas, quæ viam non aviam, quia utrobique virtutibus tritam efficientes, pro scopo & termino altissimum

d. 48. anno ante natum Christum Stryikovius lib. 3. histor. Lithuanic. fol. 77.
e. idem qui supra ibidem de Publio Libone qui & Palæmon. fol. 67.
f. de his in Theatro Reginali Andr. Lipnicius
g. videatur Corona radiata Mazurkovicii
h. In Cursu Olympico ad Cathedram Posnaniensem.
i. Stryikovius loco citato fol. 72.
k. idem Stryik. lib. eodem fol 84.
l. idem Stryik. lib. 9. fol. 364.

tiſsimum quemvis jure hæreditatis quaſi, expoſcunt Honorem. Per congruos quippe prenſando faſtigio, nunquid non congruè conſcenditur gradus?

1. Gradus. Ac Paternam Tuam ut ab honorificentiſsimis cæptam, per Illuſtriſsimos Sereniſsimosque protenſam ita nonniſi ad Honores terminandam, juſto indaginis paſsu ſi fas eſt percurrere lineam, primum fortunatiſsimo præſenti conſcenſui Tuo Gentilitias *(m)* Columnas quis ignorat poſuiſse gradum ut gradatim per exempla Majorum, & Tua rectè factorum, exercitia, quàm altiſsimè Virtus ſuum exereret caput. Illæ inquam Columnæ primum Tibi poſuerunt gradum, ad quas *(n)* Cleopis Ægyptiorum Regis pyramidum firmitudinem, & *(o)* Herculeæ ad Africam & Europam poſitæ molis faſtigiatam tenacitatem excedentes, furens quondam Julii Cæſaris in mediterraneo mari, deletis per Libonem (qui Tua ILLUSTRISSIME ac iterum iterumque CELSISSIME PRINCEPS in utraque linea radicalis origo eſt) validiſsimis *(p)* Dolabellæ & Antonii copiis attrita eſt virtus. Illæ COLUMNÆ quæ & (Menii *(q)* obeliſcis, & Roſtratis Romanis Statuis, & Trajani Coloſsis, & Rhodiis Machinis, Antoninis, Duillianis, Minucianis, Iſthmiis pyramidibus; jure merito præripiant palmam; ad quas non imbelles Antiates à Menio, non inexercitati protunc Ægyptii ab Auguſto, non fugaces Scythæ vel Daci à Trajano, non reliquæ à reliquis, abjectæ quia barbaræ plebis phalanges, ſed *(r)* Duces, ſed Imperatores à Palæmone, ſed Pontifices Bonifacii VIII. à *(ſ)* Sarra. Sed *(t)* Clementes à Pompejo Columna; potentiæ ſuæ viderunt & ſunt experti oppoſitum obicem. Illæ COLUMNÆ vel Carolino *(u)* certè inſcribendæ lemmate *Plus Ultra.* Super quibus ut tota Lituania, ita Tua Illuſtriſsime Princeps originaliter innixa domus poſt relictas turbulentas, in Publio Libone, Italiæ plagas; poſt ſpretam fertilem ſed periculoſam pro tunc (ob inimicam C. Julii Cæſaris potentiam) Hetruriæ Ducatûs hæreditatem, *(W)* plures ultra mille bis centenos quadraginta octo, in Kunoſiorum, & Kernuſiorum à Libone deſcendentium Lithuaniæ Ducum propagine numeravit annos. Rectè profectò tunc pnevmaticum illud in readſcriptum ſibi vidiſſet & legiſset *Columnarum* familia *(x)* dabo te in Columnam ferream; ad quam non firmata modò ab octo annis cum quaterna decade ante natum noſtræ ſalutis pignus, hucusque feliciter durat, verùm & cum *(y)* Rutenicas plùs juſtò ſibi inſenſas vires, & Sarmatarum pro tunc ſat validum robur, & plurium aliorum hoſtium metuendam toties enervâſset feliciter potentiam, etiam potens nunc contra quosvis hoſtis infenſi auſûs perſiſtit ſatis ampliata Lithuania, amplum & ſpatioſum alumnis ſuis ad Honores gradientibus adaperiens iter.

2. Gradus. Verùm Tua ILLUSTRISSIME ac iterum iterumque CELSISSIME PRINCEPS etſi ad Columnas fundata Virtus, jure quaſi hæreditatis debitum ſibi, ad præſentis dignitatis faſtigium habeat ſufficienrem gradum, moræ tamen cujusvis impatiens, ſecundo paſsu ut ſcandat pernix, ſecundum aſcenſûs ſui adoptat gradum, agili & ad quævis Heroica natæ Hyppocentaurorum in Poiata (z) Zivibundi Conſorte quando ſociatur dexteritati. Monſtroſam certè, quia prodi-

m. Racki in curſu Honoris ad Cathedram Poſnanienſ.
n. OKolsKi Orbis Poloni tom. fol. 119.
o. Ælianus lib. 5. var. hiſtor.
p. Stryiko lib. 3. fol. 67.
q. Theatr. Vitæ Hum. titulo Columna.
r. Stryik. lib. 3. fol. 67.
ſ. Jovius in Elog. virorum lib. 1. fol. 3.
t. Jov. loc. cit. lib. 4. fol. 196.
u. Okol. loc. cit. fol. 118.
W. Colligitur ex Stryiko.
x. Jerem. 2. cap.
y. Stryik. lib. 6. fol. 245.
z. Stryik. lib. 4. fol. 85.

prodigiosam ecquis non stupuerit fortitudinem ? Cui ante hac excelsi (a) Alpes, & profundi fluvii, & spatiosa maria cum cessissent, & Italia, Hispania, Anglia, Germania, Prussia, Poloniaque ipsa non restitisset, etiam Oriens etiam Septemtrionales per omnia detulerunt plagæ. Vidit quondam in Zivibundo non jam ad Cannas, sed ad (b) Dzuinam novum Hannibalem Russia. Advertit in Kukowoyto & Utene alterum Lithuaniæ enatum esse Fabium & est experta (c) Livonia. Intuita est in Suentoroho & Germonto Magnis Lithuaniæ Ducibus, quâ (d) Masovia, quâ (e) Volhynia, Q. Sertorios Romanos. In Gilingo (f) L. Papyrios. In (g) Romunto Scipiones Africanos Uladislaviensis & Pomeraniæ plaga. In Narimunto Paulos Æmilios (h) Jaczuinges. In Troidene Lucios Lucullos est admirata immo pertulit (i) Polonia. Hoc sociato gradu fulciebaris â longè ILLUSTRISSIME iterum atque iterum CELSISSIME PRINCEPS, quò faciliùs ad altum jam in majoribus Tuis debitum Tibi properâsses Honorum culmen, donec octoginta duobus expletis annis, annosæ Gentilitiũm *Columnarum* Tuarum firmitudini, rursus placuisset Superis in (k) *Vithene* Principe ut innitere-tur Lithuania, addito etiam in signum strenuè frangendæ cujusvis adversitatis, militis Cataphracti typo.

3. Gradus. Quæ (l) quidem Lithuania, quia simplex ac ideo candida, & suorum fautrix Regio est cæli clementiâ, soli fertilitate, Ducum vi & robore, Civium moribus & ingenio laudatissima, Principum & virorum nobilium rebus gestis famigerata, tertium hic Virtuti Tuæ jure meritò dicenda est posuisse gradum: quatenus in Majoribus Tuis jam propior Deo, propior Christianis factis, propior omnigenæ exercendæ Virtuti futurus, non ivisses modò expeditiùs sed cucurrisses, sed expeditissimè gentilitiâ firmitudine constans, & nativâ cataphracti alacritate, agilis, volâsses ad excelsa Honorum juga, tantò occupanda certiùs, quantò Gentilitius cataphractus Tuus non per terras, non per undas, sed per aëra ferme ipsa, pro Deo, pro Patria, pro Majestate, pro bono publico volavit olim & volat nunc incunctantius. Ille inquam (m) Cataphractus, in cujus humeris publica pax, Religio, Libertas, aræ à gravi periculo servandæ cum consedissent, etiam communis per eum defendenda sese recepit salus. Ille cataphractus qui urenti soli & martio inficienti assuetus pulveri, ut urbes & oppida intra tepidos parietes optatâ fruerentur tranquillitate effecit semper. Ille Cataphractus qui legem militarem doctus:

Sæpe feres imbrem cælesti nube solutum
Frigidus in nuda sæpe jacebis humo.

non somnum, non lectum, non quietem habens, semper in cursu, in labore, in defatigatione versatur semper. Ac ut dicta factis probentur clarè prodeat in medium (n) Paterna semper clarissima Tua ILLUSTRISSIME ac iterum atque iterum CELSISSIME PRINCEPS per Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ Reges, per Lithuaniæ, Austriæ, Saxoniæ, Bavariæ Duces, per Legnicenses Pomeranosque Principes, per Brandeburgicos Marchiones, Magistros quondam Prussiæ, Palatinos Rheni protensa, (o) arenam maris vel multitudinem stellarum

a. Okolski Orb. Pol. tom. 1. fol. 293.
b. Stryikov. lib. 6. fol. 263.
c. Stryk. lib. 6. fol. 276.
d. Stryk. lib. 7. fol. 298.
e. idem ibidem.
f. idem ibidem fol. 300.
g. Stryk. lib. 7. fol. 300.
h. idem ibidem
i. idem ibidem
k. idem lib. 9. fol. 364.
l. Sulikovius in Pogonia.
m. Sulikovius in Pogania.
n. Jodocus Decius in Jagellonum Familia.
o. Genes. 32. cap. v. 12.

(benedicente Deo) æmulata propago, ſemper fortia, ſemper heroica, ſemper Martialia ſpirans. Caput hujus, fons & origo proponitur (p) Vithenes Magnus Lithuaniæ, Samogitiæ, & Ruſsiæ Princeps, tantò clariſsimus, (q) quantò ipſe ex clariſsimis quia ex Romanis ortus, non Romanum modò, ſed totius Europæ per ſobolem ſuam fecit clareſcere ſolum. Non ſic quippe ingentia (r) Fortitudinis ſpectacula, Hercules, Theſei, Achilles, Agamemnones, Pericles ſuam adornârunt Græciam. Non ſic Epaminundæ Thebas: Cyri, Xerxes, Artaxerxes & Darii Perſas: Lyſandri Lacedæmonios: Philippi & Alexandri Macedones: Amilcares, Aſdrubales, Hannibales, Pænos: Non ſic denique Scipiones, Sycinii, Cæſares, Octavii Romanos: aut Brenni Gallos, intenſa ſplendoris nativi fecerunt clareſcere luce, quanta Europæ toti, dudum in Publio (ſ) Libone cæpta, in (t) Vithene inſtaurata, in (u) Gedimino filio ejus conſervata, in (W) Olgerdo Gedimini aucta, facta eſt ſplendoris & decoris acceſsio. Hic eſt ille Olgerdus Atavus Tuus ILLUSTRISSIME ac iterum iterumque CELSISSIME PRINCEPS, qui Jacobum Patriarcham (ſi cætera adfuiſsent) æmulatus, duodena ac ideo (x) perfectioni conſecrata auctus eſt prole, in unoquoque ex duodecim natis duodecim millia ſignatorum ad illuſtrandam Europam vix non (y) apocalipticè notans: Vel quia tanquam duodecim (z) Elimitici fontes, quâ Rutenorum Schiſmatis; quâ Prutenorum perfidiæ, quâ Lutheranæ fæcis, quâ Arrianorum Atheiſmi, ſi non per ſe, per ſuos ſaltem erant loturi ſordes. Vel quia tanquam (a) duodecim duriſsimi de Jordane ſublati lapides, cuncta imminentia, quâ Poloniæ, quâ Lithuaniæ erant repreſsuri pericula. Vel quia tanquam (b) duodecim ſpeculatores futuri erant, qui attendentes ad quævis Patriæ commoda, eam unam promiſsionis efficerent terram. Vel quia tanquam (c) duodecim leones, Salomonis olim thronum, ita hi Paternam foverent ditionem: quod quàm verum eſset ſi ingrata certè quâ florentiſsimi Poloniæ Regni, quâ Magni Ducatus Lithuaniæ aliorumve, non recolendum eſse duceret memoriâ, adhuc Crucigerorum à fide pro tunc deſciſcentium Scytharum, Turcarum & aliorum Patriæ hoſtium buſta, ingentes Valachorum Moſchorumque ſtrages, grandes Tranſsylvanorum, Rebellium, Coſachorum Suecorumque clades, futuris nunquam ſatis memorandum ingeminarent ſæculis. Ivit alacerrimè exultabundus velut (d) gigas ad currendam viam, in primo Olgerdi filio (e) Jagellone fratre Uterino *Conſtantini Ducis Czartoryski* Abavi Tui CELSISSIME PRINCEPS immo volavit Sarmaticis auctus Aquilis, per ſumma triumphatæ hoſtilis potentiæ juga Gentilitius cataphractus Veſter, dum (f) Oppolienſium Dux armis Uladiſlai Jagellonis ſuo cum ducatu cedens: (g) Sciborius Tranſsylvanus partium ſubmontanarum prædo ſuis amiſsis fugiens: (h) Conradus de Ingingen Magiſter Crucigerorum, cum ſuo, ex Culmenſibus, Livonienſibus, Bohemis, Moravis, Sileſiis, Bavaris & reliqua pro tunc Germanorum plebe coadunato exercitu fuſus, quinquaginta millia ab eo protrita vidit. Senſit & experta eſt cataphracti veſtri potentiam,

in

p. Stryikov. lib. 10. fol. 366.
q. idem ibidem fol. 384.
r. Sulikovius in Pogonia
ſ. Stryik. lib. 3. fol. 67.
t. Stryik. lib. 10. fol. 384.
u. Stryik. lib. 10. fol. 384.
W. idem lib. 12. fol. 414.
x. D. Auguſt. lib. 20. de Civit. Dei cap. 5.
y. Apocal. 7. ver. 5.
z. Exodi cap. 15.
a. Joſue cap. 4. v. 2.
b. Deuter. cap. 1. v. 23.
c. Regum 3. cap. 10. ver. 20.
d. Pſal. 18. ver. 6.
e. Stryik. lib. 12. fol. 461.
f. Miechovita lib. 4. cap. 40.
g. idem ibidem cap. 45.
h. Idem ibidem cap. 44.

in *(i)* Uladislao III. Hungariæ Rege & ampliùs experta fuiſset Ottomannica Luna, niſi inconſtantis fortunæ luſus ad Varnam ſuum variâſset concentum. Probavit robur ejus in *(k)* Caſimiro per quatuordecim annos variante Marte, donec ad extremum totam ſeſe ſubmiſiſset ei Teutonicorum pertinacia. Summo in honore habuit felicitatem ejus in *(l)* Uladislao Caſimiri filio Bohemorum & Hungarorum Reſpublica, hæc viginti ſex annis, illa 44 ſub Cataphracto Veſtro nunquam fractam experta pacem. Quid in *(m)* Joanne Alberto Rege Poloniæ? ſub quo 40000. Turcarum una interiere ſtrage. Quid in *(n)* Alexandro? ſub quo Valachi ob ademptam Pocuciam binâ affecti ſunt clade. Quid in *(o)* Sigismundo Primo, ad cujus vel nominis ipſius terrorem Baſilii Moſchorum Tyranni. Tartari ad *(p)* Woronow, ad *(q)* Sluskam, ad *(r)* Brelkam, ad *(ſ)* Lopuſznam, ad *(t)* Medziboziam magnâ cum diſperſione fuſi ſunt ſtrage. *(u)* Solimannus denique ipſe Turcarum Imperator inſolenti ubique elatus fortuna, ac Selimus ejusdem Pater multùm ferociſsimus, arctam pro ſe ſuisque ſplendidâ legatione expetiverunt Polonorum amicitiam. Quid in Sigismundo *(W)* III. ex genuina Magni Jagellonis ſobole Catharina ſcilicet Sigismundi Primi & Bonæ Sfortiæ filia Joannis Regis Sveciæ Conſorte, Sarmatico orbi feliciter nato? Cujus verè heroica habenas Regni moderante induſtria & Maximilianus *(x)* Auſtriacus quondam Competitor Regni cum ſua factione oppreſsus: Et *(y)* Valachia ter à Transſylvano defenſa; & *(z)* Livonia ſtrenuè à Suecis liberata; & quâ ad *(a)* Vainſteinum, qua ad *(b)* Kircholmam, qua ad *(c)* Trzcianam fuſi cum exercitu ac capti, indeque fuga ſibi conſulentes *(d)* Guſtavi Sueci, & fugata qua ad Cicoram *(e)* 70000. qua ad *(f)* Bialoczerkiew diſſipatæ Tartarorum phalanges, & profligati quâ ad Bolchow, quâ ad *(h)* Smolenſcum Moſci; & Rebelles proſtrati ad *(i)* Kurikowo Coſaci: Et *(k)* 60000. Turcarum ad Chocimum horrendam internecionis ſuæ viderunt, ſenſerunt, imò paſsi ſunt ſtragem. Quid in Uladislao IV. à facie *(l)* cujus Abazi Baſsa Turcarum Dux turpè capeſsere fugam. & *(m)* Moſchus ei ſupplicabundus pro pace Severiæ 100. milliaribus latum Ducatum dare, & rebellis turbæ *(n)* Coſachorum Paulucus Dux amiſsis fæderatis ſibi pro auſu capite minui, & ad *(o)* Ochnatoviam fugaces fædè in fugam ire compulſi ſunt Scythæ. Quid in Joanne Caſimiro non fuit, per quæ aſpera non progreſsus, quæ ardua non calcavit Catapractus veſter? à facie cujus *(p)* ut pulvis à facie venti; ſeditioſa toties Coſachicæ fæcis, quâ ad noctuis tenebrionibusque congruos angulos, qua ad ipſa Tenaria antra dilapſa eſt turba. Hic pallentes alios, palantes alios, pereuntes alios effecit Scythas. Ad aſpectum & robur hujus toties gelida Mo-

i. Jodocus Dec. in famil. Jagell.
k. Idem ibidem
l. Miechovita lib. 3. cap. 62.
m. Miechovita lib. 4. cap. 74.
n. Cromerus lib. 30.
o. Idem in Orat. funeb. Regis Sigiſmundi.
p. Idem ibidem.
q. Jodocus Decius de Sigism. tempor.
r. Idem ibidem.
ſ. Idem ibidem.
t. Idem ibidem.
u. Crom. in Orat, funebr. Sigism. I.
W. Piaſecki fol. 11.
x. Idem fol. 80.
y. Idem fol. 224.
z. Idem fol. 250.
a. Idem fol. 262.
b. Idem fol. 271.
c. Idem fol. 485.
d. Idem ibidem
e. Idem fol. 151.
f. Idem fol. 459.
g. Idem fol. 313.
h. Idem fol. 324.
i. Idem fol. 455.
k. Idem fol. 410.
l. Idem fol. 553.
m. Idem fol. 567.
n. Idem fol. 598.
o. Piaſecki fol. 601.
p. Pſal. 1.

schorum contremuerunt corda. Huic Transsylvanica Vesania, Suetici Leonis efferata audacia semimortuum ferme suum supposuit caput. Murmuret igitur vel etiam nescio quàm altis rudis antiquitas ingeminet vocibus. (q) Non esse facilè Ducali; difficiliùs Regio, difficillimum Imperiali sangvine censeri ex quo cognati Principum vel ipso sangvine merentur odium, præsumptâ ad minus attentanda Principatum ambitione. Incitaverit sangvis (r) Cambisem Persarum Regem in necem Smerdis, hoc ipso nomine quòd ejus Germanus esset. Armaverit (s) Cassandrum Antipatri filium in Olympiadis Aridei & Herculis exitium vel propterea quòd in Regnum succedenti sibi Consangvinei essent. Stimulaverit (t) Constantem Imperatorem in Theodosium uterinum Fratrem, Nigrum ejusmodi (u) thita adversa sors CZARTORYSCIORUM nunquam præfixit sangvini quin Respublicæ, quin Duces, quin Principes, quin Reges, quin Imperatores ipsi, nedum Gentilitio cataphracto vestro adaugeri, sed & cum ipso per fœdera connubialia communicare sangvine attentârint, curârint, imò omni moto lapide expetierint. Prodeat (W) Hungaria in Uladislao Jagellonis, Bohemia in Uladislao Casimiri vestro non adaucta modò, sed & defensa Cataphracto. Taceo Georgios Bavaros in Hedvige, Fridericos Legnicenses in Elisabetha; Georgios Saxones in Barbara, Boguslaos Pomeranos Duces in Anna Casimiri filiabus, communione sangvinis vestro detulisse cataphracto. Prætereo tacitus Fridericos Marchiones Brandeburgicos in Sophia Casimiri nata, vestro junctos sangvini. Mitto Casimiros & Joannes Marchiones. Albertos Magistros Prussiæ, Joannes Christophoros, Fridericos Duces Saxoniæ. Transeo Georgios, Casimiros, Bernas, Principes Pomeraniæ: qui è gentilitio vestro Cataphracto Aquilis Sarmaticis adaucto, ubi nativum sortiti sunt robur, ad ipsa usque sydera cum sui celebritate nominis pertigerunt feliciter. Quid Friderici ex Casimiro? Alberti & Caroli ex Sigismundo Cardinales? Quid Casimiri Lithuaniæ Principes in Sanctorum relati numerum nonne ad ista cum vestro cucurrerunt cataphracto? Quid Ferdinandi Cæsares in Anna Uladislai III. filia? nonne suas expetiverunt, cataphracto vestro junxisse imò junxerunt Aquilas. Hæc est hæc auspicatissima CZARTORYSCIORUM ad summas dignitatis auges scandendi norma; iste est à majoribus ad maxima quæque, quia & ad cælum ipsum constratus trames

Sic sua CZARTORIDAS sors super astra vehit.

Verùm prætacta hæc Bellerophontis instar prætervolantis; quia pernicitate Sarmaticarum Aquilarum fulti cataphracti vestri, non pro exigentia rei, sed pro possibilitate contemplantis notata, toti cum sint nota mundo, retroactis etiam ante non ignota sæculis Te CELSISSIME PRINCEPS recto tramite quia Paterna immediata à recti bonique norma non deflectente linea, firmo gradu, quia omnis virtutis firmitudinem amantium immediatorum Majorum Tuorum ad ardua Honorum juga, ex debito occupanda promoventia heroica patiaris lustrari monumenta. Constans mansit, manet, & per futura manebit sæcula, quâ in Lithuanicis, qua in Rutenicis, quâ in Sarmaticis in universum oris (x) Constantini Czernichoviensis, Severiensis & Czartoriensis primi Jure hæreditario Ducis Abavi Tui memoria, cui penes Heroicum animum ea semper fortuna adjuncta fuit, ut cum se publicis necessitatibus impendisset, sollicitè & laboriosè vel hoc contendit

q. In Cursu Olympico ad Posn. Cathedram.
r. Herodotus lib. 3.
s. Volateranus lib. 13. cap. 3.
t. Baronius tom. 8. ad ann. Christ. 659.
u. Persius Satyra 4.
W. Jodocus Decius in familia Jagellonica.
x. Striykovius lib. 12. fol. 461.

contendit unum, ne unquam bellatoris fortiſsimi ſibi deeſſet munus. Et meritò quidem (*y*) egregias quippe & per Virtutem bellicam magnum in nomen ituras OrbiSarmatico daturus animas, vel ipſum par erat in ſuis factis ut ſpirâſset Martem, quo verificaretur illud; Non procul à proprio ſtipite poma cadunt. Firmum ſuper perennitate nominis ſui, cum nunquam intermoritura æternitate durat & durabit percuſsum fædus à Fedorio (*z*) *Czartorienſi* Duce Luceorienſi Capitaneo, quando Marcellos, Scipiones, Camillos imitatus, nedum fæderatas internecionem Volhyniæ & Podoliæ intentantes immo inferentes quâ Turcarum quâ Tartarorum feliciter fugavit phalanges. Verùm ut ſe genuinumPatriæ ampliùs monſtrâſset Civem, non ſe à Patria, ſed Patriam à ſe ditandam eſse, aperto quia munifico Luceoriæ monſtravit documento. Hæret hærebitque perennitatis inſcriptus faſtis, nunquam obliterandam ſemper habiturus gloriam, pari paſſu ad immortalitatem exæquans Patrem filius Alexander CZARTORYSKI Volhyniæ Palatinus, qui ut Æmilius alter vel Tarquinius Priſcus per (*a*) Pocuciam & Podoliam Valachorum, Moldavorum, Scytharumque graſsantem ſedavit impetum, turbulento hoſte, partim in profunda Iſtri deturbato Vada, partim horrenda, in crudelitatis & audaciæ pænam, fuſo ac proſtrato clade. Ita ſub Gentilitio Czartoryſciorum cataphracto ſecura Polonia, ſecurum illi ſcandendum ad honores, nunquid non præbebit gradum? Frænandi erant ampliùs, jam feliciter attriti ad (*b*) Neveliam, fuſi ad (*c*) Hulam impotentes Moſchorum animi, ac Kiovienſis Palatinatus, in officio quâ rebellis, in poſſeſsione quâ nuper occupatus tenendus erat: belli Moſchovitici præfatum munus unicuique diſsuadente fragore, ſolus Gentilitius CZARTORYSCIORUM Cataphractus: non quopiam hoſtis vel ſortis impetu frangendus, in Joanne (*d*) Hieronymo Czartoryski Proavo Paterno Celſitudinis Tuæ ad hoc anguſtum ab Auguſto Rege expeditus inventus eſt obſequium, quod dum obit ſtrenuè, & captos Vi, ejus amore capi, & ſupra ſe præfectum, ſcientes; pro ſe militare experiri; & infideles, fidelitati aſſueſcere; fideli ejus efficiente cura, contigit felicisſimè. Referandum erat fortunatiſsimè priſco Romanorum more à Victorioſiſsimo Stephano Bathoreo, in perniciem Moſchorum ac aperiendum Jani fanum. (*e*) Januſius Dux CZARTORYSKI Patruus Illuſtriſsimi Parentis CELSITUDINIS Tuæ apertam illuc quâ ſumptibus, quâ perſonali labore contulit ac impendit operam. Non illum aſperæ hyemis, eò usque adegit rigor, ut unà cum glorioſiſsimo Rege, ſub pellibus peragenda aſpernaretur hyberna. Et inclementia Cæli, & nivium acerbitas, & expertia quietis loca, & incongrui ſanitati cibi, & de die in diem emergentia pericula, mors denique ipſa nunquam ipſum direxit retrò, donec par Mutio Scævolæ pro Deo, pro Patria, pro Majeſtate, nihil heroici & Martialis ad Pſchovum non tentatum relinquens Clementiſsimo cæli Domino nive puriorem, in perenni tranquillitate, omni abundaturam affluentia ad immortalem vitam conſignâſset animam. (*f*) Sternenda erant & extirpanda quâ à Balthico mari in ruinam Patriæ deſcendentia robora; quâ à Moldavia, indurati, Patriæ durum neceſsitatem faceſsentes ſuccidendi trunci, cucurrit illuc Gentililitius Czartoryſciorum cataphractus in (*g*) Georgio Czartoryski, qui non prius per caden-

y. Virgilius Æneid. 6.
z. Sulikovius in Pogonia.
a. Idem ibidem.
b. Warſzeviciusad an. 1562.
c. Idem ad an. 1663.
d. Sulikovius in Pogonia.
e. Idem ibidem.
f. Sulikovius in Pogonia.
g. Idem ibidem.

tia Suecorum in Livonia & Moldavorum in Valachia cessavit grassari cadavera, donec attritus ab his, debilitatus ab illis æternùm victurus, mortalis terris, immortale cælo inferret caput. Taceo Juones Michaeles Czartoryscios Duces, non fracto passu per cataphractum robur, ad summa heroicæ dexteritatis pervenisse juga, quos (h) Uladislai Hungariæ & Poloniæ Reges, quos Augusti augustum per sua diplomata fecerunt habere nomen. (i) Mitto in flore ætatis virtutibus floridos, è vita Patriâ invitâ migrantes Georgios, prætereo Avitæ ac Paternæ virtutis hæredes ANDREAS (k) CZARTORYSCIOS Duces, qui ut stellæ de nocte cælum, ita Sarmaticum exoriente tempestate hostili, attentârunt, curârunt, imo fecerunt splendescere Orbem. Solus adsit, speculum omnium futurus (l) ILLUSTRISSIMUS NICOLAUS GEORGIUS Dux CZARTORYSKI Castellanus Volhyniæ Parens CELSITUDINIS Tuæ, qui non jam umbras Romanorum Metellos, Lentulos Lucullosve æmulatus, sed non intermorituræ unquam veræ Sarmaticæ dexteritatis testimonia, (m) domitores Tartaricæ barbariei Constantinos Ostrogios, Nicolaos Camenecios, Stanislaos Lanckoronscios Sieniavios, Secignivios Profligatores Turcarum (n) Tarnovios, Gnoinios, Debellatores (o) Teutonum Zarembas, Ilovios. Victores Moschorum (p) Boratinios, Georgios Radivilos, Suierzovios, & alios veros & genuinos Aquilæ Sarmaticæ pullos secutus, pullâ quâ Suecorum in Livonia luxuriantem, quâ Scytharum, quâ Turcarum, quâ Moldavorum in Valachia triumphantem fortunam, toties coëgit indui veste. Hic est ille ad cujus signa & vexilla proprio conducta sumptu, tanquam ad fatales in cælo exortos stragem & (q) cladem internecionemque portendentes sibi Cometas in Livonia expavit Suecus. Hic est ille dexteritate cujus in (r) Valachia lectissimi militis ducentis agmen, pallorem Sarmatis intentantes, palantes ipsi quâ Scythæ, quâ Valachi, cæsi: Othomanica denique Luna, per avia Danubii, partim errare, partim occidere fugiendo compulsa est. Eant ergo Veteres suo cum more Romani & (ſ) Civicis, muralibus, obsidionalibus, Navalibus, Castrensibus, Ovalibus, triumphalibus etiam, in suis Siciniis dentatis, Hostiliis, Cincinnatis, Agrippis, Publiis Deciis, Crassis, Pompejis, Augustis ornentur Coronis. Czartorysciorum Virtus quot viros? tot coronas, quot Heroës? tot thronos. quot Principes? tot Honorum promeruit juga.

4. *Gradus.* Post tertium summis non nisi virtutibus tritum præsentis honoris gradum, quartum si quo tum martiali dexteritate omni merito Romanæ anteponenda Fortitudini, materna per quàm celebris linea, ponit Tibi ILLUSTRISSIME ac iterum iterumque CELSISSIME PRINCEPS. quam non viles Melissianæ, vel Parmenidis atomi, non Platonica invicem sibi succedentia puncta, sed *Koreciorum*, *Visnoveciorum*, *Zaslaviensium*, *Ostrogiensium*, *Zbaraviorumque* Principum integrant, complent perficiuntque familiæ. Idem omnibus cum sit principium, & eadem in Atavis origo, grata varietate, ceu quæpiam flumina, ex uno tot promanavere fonte, ut arescentibus rebus Patriæ, Causa ei addendi vigoris dulce vobis esset etiam ipsum profundere sangvinem. Et ILLUSTRISSIMORUM Ducum in Korec qui Tuam CELSISSIME PRINCEPS (t) Maternam directè

h. Paprocius in Nido Virtutum fol. 1142. & Acta Lublinen. ad an. 1569.
i. in Cursu Olympico ad Posn. Cathedram.
k. Ibidem.
l. Sulikovius in Pogonia.
m. Cromerus in Oratione funebri Sigism. I.
n. Idem ibidem.
o. Idem ibidem.
p. Idem ibidem.
q. Sulikovius in Pogonia.
r. Idem ibidem.
ſ. Theatrum vitæ humanæ tit. Corona.
t. Okolski Orbis Polonici tom. I. fol. 549.

directè integrant lineam, dum contemplari licet Hectores, Trojanos, Horatios Coclites, Achilles ipsos concipere fas est. Vigebit, nunquam fuscâ oblivionis celanda caligine Demetrii Butavi Quinti ex Olgerdo filii & perennabit memoria, quem etsi par (u) Fabianæ quondam ad Cremonam unâ cum pluribus suis ad (W) Vorszlam Scythica Tamerlani absumpsit rabies, immortale tamen Fortitudini suæ non ademit nomen. Memorabuntur æternùm in annalium monumentis, perenni memoriâ digni ob sua egregia facta (x) Alexandri, Vasilii, Juani, Fedorii in Korec Duces vel à Sigismundo Augusto, Alexandro, Henrico, & aliis Poloniæ Regibus, ob præclara merita peculiaribus ad commendationem futuræ posteritati muniti privilegiis. (y) Quid Bogusius, Dux in Korec Proavus Maternus Celsitudinis Tuæ? quem Volhynia Palatinum, Luceoria, Vinnicia, Braslavia, Zytomiriaque cum habuisset Præfectum, profectò hostiles quivis adamantinum ejus robur experti sunt impetus. Ignari pacis, pacati esse non permissi Scythæ; truces attriti Turcæ; libero passu vel ideo non libera, Valachiæ & Bulgariæ peragrata ora; Borysthenes, Tyras, Hypanis, & Prutus turbati, Crimea adita, exterrita Oczakovia; visa & metu prostrata ac devicta Theodosia Ruthenica fortalitia catenatis Turcicis, (z) & Scythicis personabant calonibus; tota Polonia, in amænum resoluta plausum Herculi suo applaudebat semper. (a) Quid Joachimus Dux in Korec Avus Maternus Celsitudinis Tuæ? quem contra Moschos, contra Scythas, etiam contra recalcitrantem Majestati Rokosanorum Colluviem fidelem vidit, notavit, & observavit Respublica. Unus omnium, exactissimum, Ducum in Korec compendium (b) Samuel (nisi Samiata aliter Coronidem posuisset fortuna) fortunato semper pro exantlatis amore Dei, amore Religionis amore Patriæ infortuniis gaudebis nomine, quod olim nonnisi fremens Scytha, consternatus Moschus, palpitabundus Valachus, tremens Cosachus, metu perculsus Suecus, Turca ipse non nisi alteratus audire potuit. Nunquam enim in te verificatum non fuit, quod verè vestris inscribitur tumulis, (c) Et venient tandem sub mea sceptra Duces.

Post Paterna Illustrissimæ Genitricis, jam materna magni Genitoris Tui si non exactis libris comprehendi, vel balbutientibus saltem labris attingi patiaris decora CELSISSIME PRINCEPS. Assurgit ecce grata cælo, quia cælestibus signis conspicua, metuenda hostibus, quia cruce decora, in hoc signo, ut quævis adversa vincat, vel ab ipso privilegiata cælo, Augustissima, quia Ducalis; quia victoriosissima; quia Regalis; Korybutorum Ducum in Visnovec prosapia. Illa inquam quæ terrorem hosti, solatium Patriæ, cladem rebellibus, securitatem Civibus, dissidentibus de bono publico, sedatam tulit, fecit: imò creavit mentem. Illa inquam prosapia, quam Deo, Patriæ, & Civibus natam sapere, sapientissima Dei inter insipientium guerras conservat, fovet, ac tuetur dispositio. Illa prosapia cujus sublimando Honori tumultuantes (d) popularium animi, animitùs; lectissimorum apes prædatrices florum, Hieronum Siciliæ Regû, & Drusorum Romanorum florentem portendentes statum mellitissimè: Candidæ denique columbæ, candidam tranquillitatis innuentes malaciam, candidissimè, in facie totius Reipublicæ detulerunt nuper. Vivet emortui licet, non intermori-

D tura

u. Florus lib. I. cap. 12.
W. Okolski loco citato fol. 547.
x. Okolski loco cit.
y. Idem ibidem fol. 548.
z. Incursu Olymp. ad Posn. Cath.

a. Okolski loco cit. fol. 549.
b. Idem ibidem fol. 550.
c. Idem ibidem.
d. Mazurkovius in Cynthia Korybut.

tura unquã nepotis Olgerdi Magni Lithuaniæ Ducis, (e)Fedorii Korybuti fama, qui solitudine fædatam, primus Vinnicia & Zbaraz civitatibus quâ Volhyniæ, quâ Podoliæ ornavit plagam. (f) Clarescet Daniel Fedorii ;(g) celebrabitur Basilius Danielis: (h) Prædicabitur Demetrius Basilii, quorum splendori Mars & multiplicata felicissimè soboles copiosam affudit, affundit, & affundet lucem.(i) Sigismundum Demetrii toties heroicè ab illo occupata non valebit mente non retinere Bohemia.(k) Loquetur Demetrium maximum quondam Reipublicæ tutorem ac Zelantissimum Senatorem, horrenda Moschorum cædes, turpis Scytharum fuga; in officio per fortia retentus Valachus; effrænis sub obedientiæ frænum toties redactus Cosachus; Turca ipse fractus toties, infracti ejus animi, non fractum loquetur robur, quem captum corpore, non tamen heroica captivatum mente: Conclusum carcere, generoso tamen liberum cum animo; appensum unco, nihilominus tamen, fædæ dejectionis animi, non pendentem lytrum, vidit, consideravit, exhorruit Constantinopolitanæ Regiæ area; dum constans inter inconstantis fortunæ vices, semimortuus ipse arcu & sagitta postulatis morti unum addixit Bassã. (l) Constanter durabit Constantini non civis modò, sed Parentis Patriæ. (m) Michaëlis Circassiorum Præfecti nunquam annihilabitur fama. (n) Alexandro, Scytharum Regni hostium, & fidei, strages. (o) Andreæ Palatino Volhyniæ amor boni publici. (p) Juano, Scindero, Principibus Severiæ & Starodubi Visnoveciis; contra Tamerlanum egregiè Reipublicæ navata, & non nisi morte terminata opera, immortale conservabit nomen. (q) Taceo Michaëlem Visnovecium Castellanum Kijoviensem, cujus cordi, castus Patriæ cum insedisset amor, pro bono publico, non vitæ, non sumptibus parcens, quævis ferre non dubitavit amara. (r) Mitto Georgium alterum Gedeonem, arte & Marte, per quâm proficuum Patriæ. (s) Prætereo Adamos Visnovecios, Janusios, Alexandros, quorum nunquam obliteranda facta subsecutura semper loquetur posteritas. Perenni memoriâ digna jam quis hic transeat tacitus Jeremia Visnoveci Palatine Russiæ victoriosissime Tua heroica facta? in cujus pectore Mars cum Minerva suam dum posuisset sedem, omnem imminentem Patriæ tempestatem, Consilio & gladio sedâsti semper. (t) In te quondam Buciacios, Mascovitios, Brochocios, Safranecios, Sciborios, veros Sarmaticos Hercules redivivos spectavit Polonia. In te Kobyliniorum, Michaloviorum, Olesniciorum, Melsztyniorum, Samotuliorum Koscieleciorumque supremorum olim in Polonia Ducum, excitata nuper, stupori Orbi Sarmatico extitit virtus. Te fortissimum Tecinium; bellicosissimum Ostrogium; bellica virtute conspicuum Curosuancium; Gorcanum; Odrovansium; Bobricium; Comorovium; vidit, spectavit imò experta est rebellium Cosachorum turba. In te Panievy dexteritas. Dembiny non fractum in adversis robur. Sarlei agilitas. Zarembarum constantia. Suierszczoviorum Magnanimitas. Boratiniorum resolutus animus. Tuforoviorum fervor, gelidas Moschorum toties turbavit mentes. (u) Callimachos Athenienses; Orthryades Spartanos; Posthumios, Albinos, Romanos Duces, Cassios, Scævas Centurio-

e. Okolski Orbis Poloni tom. 1. fol. 528.
f. Idem ibidem.
g. Idem ibidem.
h. Idem ibidem.
i. Miechovita lib. 4. cap. 46.
k. Okolski loco citato fol. 528.
l. Paprocki in utroque opere.
m. Okolski loco supra citato.
n. Paprocki in stemmatibus fol. 649.
o. Idem in Nido virtutum fol. 1148.
p. Okolski loco supra cit.
q. Idem ibidem fol. 529.
r. Idem ibidem.
s. Idem ibidem.
t. De his Starovolscius in Bellatoribus Sarmaticis.
u. Mazurkovius in Cynt. Koryb.

Centuriones, vel Cajos Acilios stupendæ fortitudinis olim, meras nunc si placet in memoriam revocare umbras? Zbaraviorum Principum, non umbraticè exprimit, sed ad vivum repræsentat imò excellit superatque hos familia. *(W)* Meruit Stephanus Zbarasciusad Vitepskum. Nicolaus, Uladislaus Georgius ad varia conflictuum loca. *(x)* Janusius ad Velicolucum, ad Sokaliam, ad Toporiciam, alter Georgius Pocillator Regni, in tot factis expeditionibus. *(y)* Christophorus ad Smolenscum, & per expeditam feliciter legationem Turcicam æternum est consecutus nomen. Et hæc semper fuit *Celsissime Princeps* Majorum Tuorum ad ardua tendendi semita; hos nativa Cataphracti vestri Virtus ad aspera honorum scandebat gradus, hoc ad Ducales Mitras; ad purpuratos honores; ad Pontificales Tiaras, ad Regales Coronas, ad Imperatorii sangvinis communionem, etiam ad cælum ipsum à CZARTORYSCIORUM familia itum est tramite. Ast Celsissime Princeps nativa Tuorum decora, etsi Tua sint, non ita tamen proprietatis patiuntur rigorem, quin participatione multorum distracta ita adornent omnes, ut singulis propriæ virtutis edendorum speciminum, non adimant facultatem. Clara Tua in Majoribus semper: Clarissima tamen Majorum in Te *Celsissime Princeps* conspicitur virtus, quò communes natalîum non pigrè prætervecta, per speciales, quia omni perfectioni addictos alacriter incedit gradus. Te siquidem Avis, Abavis, Atavisque magnis Principibus editum, non insanum superstitiosæ gentilitatis Fatum; non cæca supernæ dispositionis expers fortuna; non insperatus casus; sed qui Virtuti individuus comes est, ipse in editissimo, labor constituit loco: dignum certè, qui in Orbis Sarmatici sphæra, supremam hanc dignitatis obtineas Augem, ceu ille qui pro Deo, pro bono fidelium, pro Patria, pro Majestate, laboriosam satis exantlâsti orbitam.

5. *Gradus.* Ac laboris Tui pro Deo, primum, jam autem præsentis ascensûs quintum, quantum attinet gradum, hunc vel sola nomina, quis fuerit in re ostendunt palam: Ut verum illud sit *(z)* *Conveniunt rebus nomina sæpe suis.* Polo per omnia studentem, Pseudopolitices expertem, ipsissimis non nisi politam virtutibus dum innuunt educationem. Casimirus quippe non casu miram; sed benedictione Divina vallatam. Florianus audiens, Floræ semper januis futuram invisam, in Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio ex quo Celsissime Princeps exorsus es vitam, vitantis quod noxium, & probantis quod probum est, aggressus es rationem, ut tota piè agendi in Te compleretur norma, quo infantia profaretur innocentem, pueritia purum, adolescentia, non abolescentem virtutibus; vernans juventa, verè inventum ad fortia, Virilis denique ipsa virorem virtutum præferre testaretur ætas. Et rectè quidem: utpote cui, non satiùs lusibus, quàm ludo; non frequentiùs disco, quàm discendo; non avidiùs labris in nugas laxandis, quàm libris perlustrandis intentum esse complacuit semper, in tantùm ut & *(a)* Atheniensis quondam educationis rigorem, & Spartanæ Institutionis austeritatem, & Persicæ juventutis quondam circa seria tractationem, attigisse, si non excessisse dicendus esses. *Illustrissimorum* quippe *Parentum Tuorum Celsissime Princeps* altera *(b)* Thomæ Mori domus, alterum pietatis gymnasium, instituendi familiam, ibidem observatâ normâ; *(c)* Alterum sancti Elezeary Comitis Ariani domesticorum fo-

D 2 vendorum

W. Strykovius lib. 14. fol. 503.
x. Okolski loco cit. fol. 503.
y. Idem ibidem fol. 504.
z. Ovidius in Metamorph.

a. Theatrum vitæ humanæ tit. Educatio.
b, Stapletonus in vita Mori.
c. Theatrum Vitæ humanæ tit. Educatio.

vendorum exemplar, (d) Arseniis, qui Theodosii liberis, aut (e) Antiochis par, qui erudiendo Arcadii Cæsaris filio adoptatus esset Illustrissimus Parens. Pientissimas (f) Annas Elcanæ circa Samuëlem; (g) sanctitate celebres Monicas circa Augustinum; (h) Blanchas Hispanas circa Ludovicum. (i) Ludimillas circa Wenceslaum æmulata Pientissima Genitrix Tua ecquæ Virtutum semina non radicâsent? immo etiam ipsos in Te Celsissime Princeps non maturâssent fructus? Nemo malis communicat (k) (juxta psaltem) sine contractæ malitiæ nævo, quæ si ubi tum in Aulis, otio tumida, licentiâ præceps, sua distendit aulæa. Proscriptam fuisse ab Aula Illustrissimorum Parentum vidisti Celsissime Princeps istiusmodi corruptelam. Ubi non ab aliis petere, sed illis exempla dare, non equitationibus in stadio, sed diligentiæ in studio, non venationibus, sed orationibus, non jaculationi, sed intentum lectioni, Lectissimum Dei præconem futurum, de facili advertit quivis. Humanioribus impensus, quantâ humanitate conspicuus? Rhetoricis addictus, quantus Orator? Stagyritæ affectus, quis contra difficultatum gyros? Revelatæ cælitùs devotus sapientiæ, quis contra nocentes spiritui astus evaseris, jam dudum privata cum privatis colloquia, publica subsellia, Romanæ sapientiæ Circi, Ecclesiasticæ exedræ, revelârunt, & vel ipsa Codicum D. Augustini grandis satis in se, gratæ brevitati per Te, consignata moles, revelanda tandem revelabit ampliùs. Et licet domestici lares nunquam non bonum, externæ tamen optimum sanè Te Celsissime Princeps viderunt, consideraverunt, & sunt admiratæ oræ. (l) Roma Religionis sanctissimæ sedes, augustissimum æterni Imperii caput, gentium & terrarum admirandum compendium, perfugium Christianæ sanctitatis, Princeps & Domina scientiarum, artium Parens optima, eruditionis Magistra, ac Virtutum omnium officina, nunquid non Religioni, non pietati, non omnigenæ eruditioni addictum, notavit, consideravit, approbavit? ut illa tandem clarè splendescerent in Sarmatico orbe, quæ in Urbe (m) Urbanus VIII. Paternâ benedictione in Te Celsissime Princeps firmârat benè. Quid factum Mystam? nonnè Mysticorum semper Te omnigena non tenuit reverentia? non solicitavit cura? non exagitavit studium? spiritualibus bonis, non istis annexis, pio Sacerdoty usui, non secundario fructui; operi non opibus, studentem merè? dabant Tibi hoc Paterni lares, quod largè plurimis suppeditant aræ. Unde non lucrum, Virtute, non mercedem rectè factis, non quæstum pio servitio attentâsti unquam solo Sacerdotii illicio contentus, non dici, sed esse bonum. In Cathedralis Cracoviensis Ecclesiæ primarium adscitus Canonicum, canonicè jure merito Pontificalem à Te occupandam Cathedram censentium, Tua dicta & facta promeruerunt vocem. dum Suaviores Tullianâ suadâ, quia Divina crepantes, Uberiores torrente Demosthenis, quia ad æterna & spiritualia allicientes; jucundiores Isocraticâ eloquentiâ, quia internum recreantes hominem; per exedras templorum feliciter spargeres sermones. Agnoscebatur in Te mandatum executioni, illud Concionatoribus injunctum ab Apostolo. (n) Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, dum per suggesta Templorum, per exedras Religiosorum, per Cathedras etiam primarias, & Hæreticorum perstricta rabies, & impunè grassantia, taxata vitia, & desciscentium

tium

d. Baronius tom. 4. ad ann. Chri. 383.
e. Nicephorus Calistratus lib. 14. cap. 1.
f. 1. Regum 1.
g. In vita S. Augustini.
h. Paulus Æmilius lib. 5. Franc. Hist.
i. Dubravius lib. 4. Bohem. Hist.
k. Psal. 17.
l. Sulikovius in Pogonia.
m. Idem ibidem.
n. 2. ad Timoth. 4.

tium ab invicem leniter ad concordiam; ad charitatem provocati animi, præsago corde Te futurum concluderent eum, (o) qui condolere posses iis qui ignorant & errant. Videbantur in Te novi (p) Gallorum Fulcones, qui prostitutam Castimoniam; Arnulphi Brixienses, qui vanitatem mundi; Bernardi Clarevallenses, qui Hæresum monstra, cavenda, vitanda, fugienda suaderes semper.

6. *Gradus.* Ac istis pro Deo insistentem bonis, bonus recte factorum remunerator Deus non passus est Celsissime Princeps Tuam sub modio, utpote unius Civitatis modificatam situ, relinqui virtutem, quin supra Candelabrum Pontificalis Posnaniensis Cathedræ, ex (q) hominibus assumptum pro hominibus constitueret in iis quæ sunt ad se, quò fidelem Te servum, fideli & sinceræ circa bonum fidelium promovendum addictum curæ, vel per hunc gradum, qui præsentis ascensûs sextus ac (r) ideo perfectionem arguens esse dignoscitur, in sua gaudia intraturum tandem, vocaret pro tunc. Quanta tunc ô superi lætitiæ & jucunditatis facta est accessio! cum primus Pontificatûs Tui Posnaniam pervasit nuntius? quibus propensis studiis in Te Celsissime Princeps, quibus affectibus? quo pio mentium animorumque motu certabant omnes? exardescebant singuli? flagrabant universi? Generosus Eques Ducales Mytras, ac Vetustam prosapiæ originem. Doctorum Corona Tuæ Celsissime Princeps non ignara Doctrinæ Mecænatem. Populus desideratum Pastorem. Omnes clementissimum recogitabant Patrem. Erant qui antiquitatis gnari, veræ pietatis promotores, primos è Italicis oris (s) Cathedræ quondam Posnaniensis possessores Jordanos Ursinos recolligerent, in Te Romano etiam succedente ex Romanis oriundo quondam. Aderant qui Ducalem Mytram Pontificali adauctam Tiara perpendentes, rursus Joannes (t) Lithuaniæ Duces, aut à mortuis excitatos Principes Oppolienses revocarent in mentem. Jureconsultis Petri Wysz solertia; literatis Lubransciorum munificentia; privatis Laskaresiorum & Gosliciorum affabilitas; subditis Rozdrazeviorum clementia, Liberalitas Opalinsciorum, Lubiniorum, Novodvorsciorumque Egenis; beneficentia Szoldrsciorum indigentibus, omnibus denique omnia bona in Te uno comprehensa recurrebant in mentem. Nec fefellit sperantes Celsissime Princeps de Te præconcepta opinio, ad adventum cujus omnis Posnaniam videbatur advenisse felicitas, quâ mutilæ & laceræ Dei ædes, cum sua debilitate, infirmitudinem; viduata, non Sacerdotibus modò, sed dotibus, sed tectis, ac sacra supellectili Templa, in pristinum statum; avulsi Ecclesiarum reditus in possessorum fidelium manus, aut redirent certè aut reponerentur, restituerentur. Vidit Te Celsissime Princeps verum Pastorem & non Mercenarium Hæreticus. Malæ fidei possessorem in bonis Ecclesiæ nulliter præscribere, pertinax agnovit hæres. Justum, causantes; Integerrimum, judicati; Innocentem, singuli; Sanctum dixerunt universi. Præclara sanè quia vigilanti Pastori; Condigna quia æquissimo Judici; debita quia pientissimo Præsuli attributa elogia! utpote quibus veri Pontificis à Doctore Gentium (u) ad Timotheum formata omnibus numeris correspondit Idea. Tua siquidem de jure irreprehensibilis in se, reprehensiva aliorum vita, Zoileos & Theoninos nunquam Te exhorrentem dentes; puræ Unitati addicta, ad puram non nisi cum Deo unionem anhelans conversatio

E

o. Hebr. 5.
p. Theatrum vitæ humanæ tit. Concionator.
q. Hebr. 5.
r. Theatrum vitæ humanæ tit. numerus.
s. Dlugossius in vitis Episc. Posn.
t. Racki in Cursu Honoris ad Posnan. Cath.
u. 1. Timoth. 3.

verſatio, omnem vertendi ſe retrò, averſantem normam. Vigilantia Paſtoralis, Sobrium; dextrum regimen, Prudentem; Erudita Comitas, Ornatum; Auguſtini in alloquendo diverſo ſexu circumſpectio, Pudicum; Effuſa in egenos munificentia, Hoſpitalem; congeſtæ lectiſsimæ, quâ profanæ, quâ ſacræ Palladis opes, Doctorem; Lenis affectus per omnia, ab aſperitate alienum; Manſuetudo, modeſtum; affabilitas, à diſsidente ſpiritu remotum; Liberalitas, cupiditatis peroſum; Integritas famulitji, Domui ſuæ benè præpoſitum; Caſtimonia Cleri, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate; Zelus Catholicæ Religionis, Neophytorum reſpuentem dogmata. Probitas denique ipſa ac integritas morum, vel publico ab iis, qui foris ſunt prolato teſtimonio, nonniſi probum, non niſi pium, nonniſi integrum docuit, monſtravit, patefecit, in tantùm ut patentiorem ad præſentis Honoris faſtigium aperiret aditum, ſeptimum feliciter in Uladislavienſi & Pomeraniæ Pontificatu monſtrando gradum.

7. *Gradus.* Cæcam eſse cæcoque cum impetu in diſpenſandis Honoribus agere fortunam, ut plurimum, compertum eſt, cum in expendendæ condignitatis Criſi, non raro committat errorem. Procul erat à virtute Tua Celſiſsime Princeps ad præſens taxata fortunæ diſpoſitio, cujus condignitati publica cum ſubſcripſiſset fama, etiam Sereniſsimus Joannes Caſimirus ſuum non dubitavit; imò dudum voluit appoſuiſse calculum, ut ad excelſa nata altiori in faſtigio locata, ſibi fulcro, Patriæ commodo, ovibus imò omnibus poneretur futura frugi. De Te Celſiſsime Princeps præſagientibus bona, quod meliora quæque æmulareris monſtrâſti palàm. *(W.)* Eluxit ſiquidem in Te lucidi primi Uladislavienſis Epiſcopi circa divina Zelus. Rediviva Mauritii, Marcelli, Anteceſsorum circa inſtituendum Clerum effulſit diligentia. Venantios, Andreas venandarum animarum ardor; Baptiſtas, Paulinos, Balduinos, Suidgeros, Onuldos, ab exteris vocatos quondam bonis avibus è Vernis vocata Tua ſolicitudo; Rudgeros rudium inſtituendorum cura; Verneros Cleri vernantis mores; Vulnephos à vulgo curatum proſcribi maleficiorum nefas. Stephanos vigil in ſacris fanis miniſtrorum ſtatio. Ogerios Bartas pro bono animarum quibuvis adverſis oggeri parata, monſtravit imò repræſentavit Tua alacritas. Et robuſtas Godziembiorum robur diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſuſtentantes pinus. Et ſoliditatem Jurium conſervantes Volimiorum, Tiliciorum, Baranoviorum ſoleas. Et Vieniavitarum laborioſos in agro Domini Tauros. Et Zabaviorum moræ in cultu divino promovendo expertia decora. Gervardorum & Trojanorum horrea Chriſti ampliantes Acervos. Golanczeviorum Sbilutorumque, vindices jurium Aſcias. Sacris militare doctus Gentilitius Cataphractus Tuus robore, ſedulitate, labore, dexteritate, fidelitate & gravitate exceſsit, excelluit, ſuperavit. Currentes & curantes viam mandatorum Dei Celſiſsime Princeps non Safraneciorum Gentilitii Equi, Non, volantes per medium cælum, tanquam in ſacris reſtaurandis cæleſti prudentiâ fultæ Oporoviorum Aquilæ. Non, venerandæ domeſticis, & externis Sienienſciorum & Oleſniciorum cruces. Non, Moſinſciorum Gorcarumque navigia Salomonis, in Tharſis, æmulatæ naves. Non, Creslaorum nitore templis reſtituto cunctis gratiſsimæ Roſæ. Non, Przerembiorum veterem rigorem innovantes Novinæ, ob navatam ſeriò Aris, Templis, Juribus, diſciplinæ Eccleſiaſticæ operam Virtuti Tuæ debitam unquam præripuerunt palmam. In te Vindex libertatis Patriæ, Karnkoviani Agni juſtò ſubinde fervori ſociata comitas.

W. Damalevicius in Vitis Epiſc. Uladislavien.

mitas. Dzierzgovii avidus compescendæ effrænis licentiæ accipitrinus Zelus. Zebrzydowscy explicata in quosvis Tuos candidi affectûs Vexilla. Rozrazevianarum, & Pstrokonscianarum pietatis odorem exhalantium Rosarum jucunditas. Tarnoviorum repastinando agro Dominico egregiè accommodati agrarii cultri opus. Leniter oves, nodosè lupos stringentium Gembiciarum fasciarum felicitas. Voluciorum Ursina vitys, virginea virtutibus propensio. Lipsciorum, rastrata avulsiva doli dexteritas, claret, nitet, conspicitur. Et egregiè sanè. Talibus quippe assuetum exercitiis, exercendus toties, pro bono Patriæ, nunquam erat aggravaturus labor; qui quàm fidelis, quàm sincerus, quàm prodigus sui fuerit, vel Octavus qui Senatoriæ Tuæ Dignitatis culmen est, testatur gradus.

8. *Gradus*. Senatorem Polonum esse, solius Virtutis, & non cæco agentis impetu Fortunæ partus est, quem gravitas morum, conceptum; Prudentia, partim in privatis, partim in publicis in bonum publicum vergentibus factis, probata, fotum; maturæ deliberationi, Augustissimi Regis innixa voluntas, natum; zelus Religionis & boni publici, educatum; dexteritas in arduis facilè expediendis, Adolescentem; veritatis & justitiæ respectus, vividum; Magnanimitas & Fortitudo in adversis maturum, ut testetur necesse est. Ista quippe Senatoriæ Dignitatis, Originem, augmentum, publicum esse, æstimationem, felicitatem, sanctitatem & omnimodam perfectionem dicunt, probant & concludunt. Vera hæc in se, quàm verè in Te Celsissime Princeps verificata sint semper, vel ille ignorat, qui personæ ignarus; de afficientibus omnes nec somnians, status Poloni nescius; boni publici regulariter stabiliendi, expers; laudabiliter peragendorum, rudis; pacis & Concordiæ publicæ fovendæ, minimè doctus; felicitatis communis retinendæ inscius, privatis in angulis, privatam ducit, & transigit vitam. Gravem Te Celsissime Princeps aggravans neminem, in amorem Tui provocans singulos, in admirationem rapiens universos, inter privatos nunquam diffluens, in publico nunquam, non moderata oris, vultûs & gestûs demonstrat compositio, quâ & dissoluti licentiosorum mores; & effrænis, perfrictæ frontis audacia; & difformis judicio, quâ in scandalum, quâ in perniciem aliorum prorumpens sermo stringi, frænari, ac reformari queat. Nihil quippe non relucet in Te quod æmulatum saltem, æmulantium studiis claram non affundat lucem; ut verum in Te Celsissime Princeps, fictum olim in se, Pandoræ videatur commentum. Prudentem; in angusto tempore, satis augustè edita, inter varia sentientes & ut plurimum in quadro dissensionum consistentes satis rotunda; inter affectuosos, & nonnisi affectatè bonis privatis inhiantes, nunquam non bonum publicum promoventia; inter turbas & guerras, nec turbata, nec turbantia, dicta, intimata, inculcata, testantur, probant, & deducunt consilia. Taceo Serenissimorum Regum bono scopo terminatam deliberationem, intentis, quorum impensè satis quâ in prosperis, quâ in adversis libens se se Tua obtulit cura. Mitto boni publici & Religionis zelum, quem vel solus tenebrio irreligiosè non adscripserit Tibi. Prætereo in arduis dexteritatem, quâ ut strenuus valuisses semper vel ipsa Omnipotentis Dei non defuit dextra. Ponè facio sub apertâ luce positum omnibus Veritatis & Justitiæ relucentis in Te studium, cui ne te impendas sedulus, impensa quâ amicorum importunitas, quâ malevolorum obtrectatio unquam evincere valet. Magnanimitas & Fortitudo magni & fortis cum Te Celsissime Princeps insigniverint nomine, ecquis fortunato Tibi non magna dicat, scribat & apponat elogia? quibus,

& Asertor veritatis cum Aurelio Augustino, & Restitutor libertatis cum Bruto & Colatino Romanis, & Parens Patriæ cum Octavio Augusto, ut audias felicissimè? Pepigerat nuper cum inferno fædus, malè sacro portentosi fæderis colligata nexu, scelere magis quàm genere nobilis, pro haris satiùs, quàm pro aris vigil, pro dissolutione potiùs, quàm pro libertate zelosa, sacra profanis miscere docta dissoluta turba. Cui effronti, non Majestatis reverentia; licentiosæ, non legum respectus; in reprobum datæ sensum, non sacrorum cura; malè conscientiosæ; non Justitiæ ratio; rabidæ, non pauperrimorum Colonorum fermè exsuctus sangvis; ferinam in mentem ascendit unquam. Securitas publica, temerario calonum violata ausu; Reipublicæ integritas, de integro addicta direptioni; Majestatis authoritas, risui; pacata media porrigentium Senatorum Fides, contemptui; Civitates & oppida luxui; pagi, agri, prædia, rapinis exposita magnam, illamque infallibilem Reipublicæ portendebant ruinam. Solus Celsissime Princeps Magnanimus quia ex magnis & ad magna natus; Fortis quia in adversis & prosperis doctus durare idem, labentis Patriæ pro tunc sustentâsti molem. Testes sunt Magnanimitatis Tuæ Kielcensis & Volboriensis palatii areæ, in quibus pro bono publico, contra publicam temeritatem; pro afflicta Patria, contra fictos Patritios; pro oppressione miseræ plebis, contra vix presso oculo intuentes veritatem, quantum profeceris nemini non constat palam. acquiescebant tandem, nunquam & nusquam quietæ, quia semper errantes, fideli Pastori, quia pientissimo Præsuli ac annuebant oves, gravitas sedabat gravamina, Prudentia impudentes & imprudentes prohibebat ausus; fides servata Majestati, fidelitatem persuadebat rebellibus. Sacri & profani boni zelus, zelatorum proprii commodi cum præjudicio alterius frænabant molimina; dexteritas in lævam versos; Magnanimitas & Fortitudo Scommatica & sarcastica assuetos loqui ad meliorem revocabat frugem; donec diris devotus, Plutonique sacer planè dissolveretur nexus, immarcescibilis unquam gloriæ, vel ideo nectendam Labori Tuo relinquens coronam, Senatoris optimi, Civis amantissimi, Afflictorum Advocati felicissimi perenne testaturā nomen.

9. *Gradus.* Ac exantlatum pro Augusta Regum Majestate malè sano opus est ille laboret judicio, qui præsenti conscensui Tuo condignum, meo autem judicio nonum neget & inficietur gradum. Retrocedere quippe opus est membrorum, curam, quoties neglectum postponitur caput. Nec benè tutus est subditorum, honor, si suprema potestas in imo abjectionis subsidat fundo, præsentem veritatem illo fundante effato, Regis ad exemplum totus componitur Orbis. Augustis Regum nominibus quid unquam Augustius? personis ipsorum quid honorabilius? Honore eorum, quid carius? nedum Sarmatia nostra, sed & omnes tám cultæ quàm barbaræ unquam censuerunt gentes? Moschis & Turcis per nomen Principum ceu Divinum jurare familiare; Gallis & Hispanis in publico nomen Regium nonnisi aperto proferre capite; Reges denique Polonorum id sibi audacter de suis quondam pollicitos, qui in uniuscujusque Civis sinu securiùs, quàm in millibus vallatâ arce conquievissent palam testantur historiæ. Nunquam enim id vel naturalis ipsa non suadet ratio; quod æterna sapientia approbavit dudum, (x) Deum timendum, honorandum autem præcipiens Regem. Cui præcepto, præcipuè satis; sanæ rationi, egregiè, sanè; laudabili consuetudini gentium quàm, laudabilem, ut per Tuos olim, ita nunc per Te Celsissime Princeps gesseris morē, dudum

x. 1. Petri 2.

dudum per Sigismundos quondam toti mundo, per Uladislaos latè patentibus Sarmatiæ plagis; nunc per Clementem X. per numerosas annuas millium decades memorandum, irrevocabiliter definitum est. Hoc Pontificiis ad Te, Celsissime Princeps directis probantibus literis; illud Budensium in Hungaria & Lublinensium Actorum in Polonia publica confirmante fide, ita ut pro altero fidele Paprocii testimonium, pro altero communis populi militet vox. Te Celsissime Princeps piæ memoriæ Serenissimus Joannes Casimirus veracem Chusai, contra perfidiosi cujusvis Achitopel consilia expertus est semper. Te feliciter modernus semperque Augustissimus Rex inter inconstantes diversorum sensus, nunquam non constantem, dispositioni divinæ, fidelitati debitæ, Majestati suæ deferentem videt. Armabat quondam miseros Cives in mutuam cædem, & membra adversus caput stimulabat palliata Libertas; quò liberiùs Majestas Principis in discrimen vocata fuisset. Missi erant permittente cordium Scrutatore Deo, post desideria cordis sui cordati Cives, ut unusquisque ivisset in adinventionibus suis, & hoc suasisset aliis, non quod esset, sed quod sibi videretur bonum. Multos pro pluralitate, unitatis cum Majestate scisso vinculo pertinacissimus invaserat labor. Te Celsissime Princeps unum eundemque fuisse semper compertum est, qui ut in prosperis sic in adversis in ordine ad Majestatem perstitisses idem. Mutus sim ego. Voce Dei, quia voce populi Te ubique amantissimum Majestatis, quia detrectatorem ei insidiantis simultatis; fidelissimum Patriæ Civem, quia Principi à patritiis exhibendæ fidelitatis normam; sanctum & intaminatum Pontificem, quia technica consilia, machiavellica molimina, malè conscientiosos astus mittentem ponè, luculenter acclamante, prædicante, celebrante, celebri quovis nunquam satis dignandum honore, cujus sangvini & labori publicus quia Majestatis tutus semper innititur Honor.

10. *Gradus.* Adest tandem decimus utrinque fortunatæ Virtuti Tuæ scandendus gradus, retrogradæ publicæ in directum revocandæ felicitatis utinam feliciter futurus norma. Meta honorifici Cursus est, magnum tamen non claudens, sed aperiens, non terminans sed ordiens pro immortalitatis bravio decurrendum stadium. Circulum laborum honore finiens; Honoratum tamen non ita in Auge relinquens laborem, quin ei operosa pro Deo, pro Patria, peragranda relinquatur orbita. Prima & principalis quia Archipræsulea, quia Primatialis, in politici corporis compage honoris statio est. Sed quæ stantem semper in excubiis pro bono publico, ad ultimam sensûs & judicii periodum requirit stationarium. Stata hæc futura in Te Celsissime Princeps Serenissimus semperque Augustissimus conclusit Rex, tota rationabiliter supposuit Respublica, singuli in universum firmissimè pollicemur, spondemus, asseveramus. Perge ergo felix Celsissime Princeps ad præcelsam Primatialis dignitatis Augem; fidelitate, sinceritate, unione animorum, hactenus disunitam ab hinc felicissimè aucturus Rempublicam. Tange fortunatissimam honoris metam, Martiali in majoribus & Palladis in Te supernè præfinitam cursui. Allidantur tandem feliciter ad Originalem Columnarum Tuarum soliditatem infelices Babylonici discordiarum parvuli. Fugentur probrosa ad intuitum prodigiosæ dexteritatis Tuæ ac profligentur simultatum monstra. Fracta succumbant Gentilitio Cataphracto Tuo, fidelitatis debitæ Majestati, fractorum molimina. Ducat cunctos ad Deum feliciter verbo & exemplo, nonnisi in iis quæ Dei sunt primitus innocens Tua educata

 Vita.

Vita. Bina Pontificalis ſanctiſsimè adminiſtrata dignitas, jam tandem dignos Patriæ Cives efficiat, quos Deus à periculoſo temeritatis revocaverit bivio. Senatoris authoritas ſedatos, Majeſtati impenſè reſtrictus affectus, obſtrictos fidelitate faciat, conſtituat, conciliet. Refulgeat in Te Celſisime Princeps ac ſqualore magna ſui parte laboranti priſtinum nitorem adaugeat cariſsimæ Sponſæ Tuæ Eccleſiæ ſcilicet Vicbalinorum Jeziorziorum prædeceſsorum quondam Tuorum acerrimus Religionis zelus. Inclareſcat *Bozutæ Vieniavii* ad omnimodam rectitudinis normam revocata Eccleſiaſtica diſciplina. *Fulconum* longè latèque Divino ampliando Honori, impenſa Cura Commodum ſibi apud TE pollicetur diverſorium. Spondent nutantia Templorum faſtigia *Jaroslaos Bogorias*, *Wezykovios*, *Joannes Jaxas*, Zdzislaos & alios feliciſsimæ recordationis Anteceſsores Tuos in Te gratiſsimam ſui reſumpturos memoriam. Pollicetur, hactenus variè habitus Clerus *Albertos Jaſtrzebſcios*, *Uladislaos Oporovios*, redivivam in Te regiminis ſui habituros imaginem. Promittit Politia *Joannes Laſcios*, *Karnkovios*, *Tarnovios*. Ominantur Literati, *Robertos Vitellios*, *Ulotizborios*, *Laurentios Gembicios*. Omnes reliqui cum Doctore Gentium vivam Sanctitatis, Innocentiæ, Integritatis, ipſis inferendam cælis, aſserunt reſuſcitandam normam. Puſillus noſter Divi Norberti Grex Candori ſuo hactenus Candidum ampliùs Candidiſsimum non defuturum ſibi concludit *Patrem*, in Conſuetas proſpera voventibus, ſolitas gratulantibus Cunctis, Conformes Candori ſuo prorumpens Voces, ſoſpes, incolumis, felix, fauſtusque Eccleſiæ, Patriæ, Civibus, ſibique quàm diutiſsimè VIVAT.

Vivat Casimirus Florianus Regni Primas.

Anagramma I.

RUINIS URGERIS? IS, IPSA FIRMA COLUMNA TUA.

Ergo, fugatis retrò doloribus
Inusitato, Gnesnea concine
O turba! plausu; Ter Beatus
Namque Tibi redit ecce Pastor.
Jam sperne furvam sortis imaginem
Adversitatum non aliquæ Tibi
Ludent procellæ; sed remotis
Nubibus irradiâsse Phœbum.
Conclude Certò. Namque Prophetico
Dudum signatum pnevmate Præsulem
Felicitatis cum peramplæ
Accipis Uberiore dono.
Hic ille felix Orbe Columnius
Sub vastiori: quem Latialia
Faustè tulerunt arva quondam,
Sarmaticas spatiis ut oras,
Augeret amplis; quique labentia
Diversa Versus, Corda Quiritium
Amæniore cum Cothurno
Ac animos solidaret in re.
Hoc Patre felix Gnesna, Ferocia
Seu fata stringant; seu trucioribus
URGERIS arctè si RUINIS
IPSA TUA ISce COLUMNA FIRMA est.

Anagramma II.

VIR MIRUS CURSU, SPIRAS ALTA, GENIO INFIMA

Ecquis non solito fertur in ardua
Passu? Cui Dignitas prospera porrigit

Ultrò

Ultrò cuî ſubjicit tam juga grandia?
Rogas ancipiti Gneſna loquens modo.
Audi prodigium. Cui Latium; ferox
Cuî Gethes; ſtrenui cui dare Teutones
Palmas; Anglia cuî; cuîque Polonia;
Hiſpanusque ſuas ſternere debuit
Laurus. Quique Atavis, & Livones truces.
Ruſsos, Volhynios, qui Pomeranios
Jaczuingesque ſuis, cogit ad infima
Promptos obſequia. Is MIRUS ab arduo
Cælo promicuit; VIRque Gyganteo
Auſu; mox alacris currat vt in Via
Quâ ſurſum rutilus ſurgit in ardua
Mitras Præſuleas exſuperans Honor.
Verùm, grandibus vt dignus Honoribus
Es ſcandens? GENIO dum Tibi ad INFIMA
Permagni ire placet contuitu Dei
SPIRAS CURSU etiamſi ALTA petens juga.

Anagramma III.

GYRA, NON FAC PILI; IS IT MURUS VERSùS ARMA.

Eja age, jam tacitum luſtrent Tibi gaudia pectus,
Primigena Urbs quondam Permagni Filia Lechi
Dum Cernis, quis ritè venit? quem cælitus æther
Nunc avibus fauſtis mittit? decus omne Tiaræ!
Ne ſua, conſuetis fraudentur Ovilia luſtris.
En qualis! quantus! quis Paſtor adeſt! cui grande
Mars nomen Pallasque dedit! Tres Ordine verſo
Prazmovii ſoleas, Parcæ ſecedere ferro
Quamvis advertas. Hoc Patre beatior es jam
MURUS IS IT VERSùS pravos adverſus & ARMA
Hoſtes ut geminos, crucibus metuendus & enſe
Fundat, & impellat ſtrenuus ſua quemque ſub antra.
Unde PILI NON FAC ſortem quæ munere Cæli
Te petiit. Senſum aſt animi per ſingula GYRA.
Dum Imperii manifeſta Comes fulſiſse videris

Noſce

Noſce Tiarati capitis ſublime. Cathedram
Accedas. Vocemque Tui jam Præſulis audi.

Anagramma IV.

AVIS, MATRE, CLARUS, FIRMIOR IN VIIS PUGNAS.

Quorſum præcipiti feror
Curſu? per quæ avia? aut quas ruere in plagas
Cogor? mente nova tumens.
Fuſcari inſcia ſuîs præmia gloriæ
Plaudens ut celebrem modis
Grandem Corecio ſangvine contuens
Te Princeps ut AVIS, MATRE
CLARUS, FIRMIOR is quævis in ardua
Cunctis dexter & IN VIIS
PUGNAS. Seu Satanas, Livor & Odium
Hoſtis ſeu truculentia
Furat, non trepidè proteris illicò
Dignus prælia qui Dei
Ducas, ut Gedeon pro grege pervigil:
Donec neſcia Marcidi
Laurus proveniat de ſuperis Tibi.

Anagramma V.

POSNANIA MIRARIS VIRUM, SI FULGET CARIUS?

Quisnam ſacrato Dux Prior Agmini
Faſtigiatis aptus Honoribus
Ad celſa præcurrat, requiris,
Pergama conſituata Gneſnæ?
MIRARIS & fors, eminus hunc VIRUM
POSNANIA, FULGET ſi modo CARIUS?
Regale, Divinumque latus
Sarmaticis comitans in Oris.
Hic ille toto fulgidus æthere
Cui Phœbus almum projicit en jubar
Patrumque cætus; Cum amicis
Ecce favet populus ſuſurris.

Hic ille Paſtor qui Tua nupero
In æde fulſit tempore; Conſcius
Ad dignitatum altas curules
Antevehi rate Dignitatis.

Anagramma VI.

REGIS FULCRUM VIS TUA, INSANOS MIRARI PIA.

Effulſit eheû Pſeudopolitica
Nuper dolorum materies gravis
Effulſit: Infelicitatis
Omnigenæ ſaliêre fontes
Radix, Tumor; ſtat nequitiæ novæ
Cælo rebellis. Sacra furoribus
Scindens nefandis, ac apertè
Jam ſuperis ferè probra ſpargens.
Signatus ipſo eſt Indice Numine
Vix Rex gementi jugè Poloniæ
Terſurus emanantem ocellis
Largi fluum lacrimarum & imbrem
Ecquis mederi ritè malo queat?
Circumfrementi cinctus acinace
En Livor aſsurgit nec orta
Sceptra timet neque curat illa,
Augetur ultra ac, omne mali genus.
Externus ægro proficuus benè
Concluditurque ſic palato.
Sceptra modò nova quoquò cedant
Reſiſtit iſtis prava volentibus
REGISque FULCRUM VIS TUA cominus
Aſsurgit INSANOS ſciendo
Zoileo PIA quæque dente
Exeſse: MIRARI aut quoties ſibi
Remediantis ponitur eminus
Quidquam: Movent firmum minus Te hæc,
Dum ſupero ſtabilitata Jure

Tueris ultrò. Justitia Tuo
Pro se facis dum, promeritam feret
Ac vertici imponet Coronam
Quæ videat diuturna sæcla.

Anagramma VII.

VIRILIS IN PRIMA SORTE, FUGA CASUM, RUINAS.

Dicata tædis spiritualibus
Dies anhelat surgere: Fulgidas
E fluctibus Titan Eois
Exiliens agitat quadrigas
Curisque mersis Gnesnea jam beat
Desiderati lumine verticis
En Tecta; luctus ac amaras
Præcipiens procul ire brumas.
Jam longiori tempore Claritas
Vibranda; rerum tem periem docet;
Post insecuturam represis
Accipitrum Coracumque prædis.
Veni quid hæres? quæ prohibet mora
Efferre gressum? Jam pia compleas
Desiderantûm vota Præsul
Czartorida, & religare Sponsæ.
Evelle mœstas sollicitudinum
E mente spinas; quo veniunt Duce
Vittata pacta, ne verere
Suppetiæ venient per aptæ.
Onus subactis hîc humeris quidem
Pondusque vix portabile reberis
Sed gratia solante lætam
Esse scies sine mole molem,
Supraque prisci Nomina temporis
Tollens Maritæ Gnesineæ decus
Potente Primatu Tiaras
Sarmatiæ superabis omnes.

Jam perge felix Czartorides throno
Et Præſulari celſus adorea
Regna triumpha, cælicique
Imperium retine Theatri.
IN SORTE PRIMA conſtituens Tuos,
VIRILIS almo pectore geſtiens
CASUM RUINAS efFUGAto
Ut redeant bona cuncta Nobis.
Io! quietos vive diu dies
Io! ſacrando luſtra fluant Tibi,
O FLORIANE floreas, ac
TE fugiat CASIMIRE Caſus.